Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1909
Quelle:
Copyright:

rator verus qui modo nusquam est, ibi erat. In *Italia* nempe tunc nec *Ludovicus Bav.* nec. *Fridericus Austr.* agnoscebantur. *Bavarum* deinceps et *Antipapam* (Petrum de Corbaria) *Serpentem aeneum* compellat. Cetera parum ad peculiaria descendit.

II. *fol.* 49. sequitur promissa superius *Petri de Pirchenwart Paulinarum* Expositio, e cujus ingressu quaedam ad Historiam nostram liter. facientia decerpam. Ut enim rationem daret *Petrus*, cur Epistolam ad *Ephesios* interpretandam elegisset, ita scribit: *Quia felicis recordationis Magister meus et pater primeuus ac precordialis, Doctor sacre Theologie illuminatissimus et huius facultatis theologice fundator preualidus, videlicet Magister Petrus de Pulka, cui omnipotens deus de sua immensa clementia requiem tribuat sempiternam, legit Epistolam ad Romanos et 1^{nam}. ad Corinth. Insuper et vnam partem 2^{e}. epistole ad Corinthios, quibus sic ut premittitur lectis, Dominus vniuersorum eum de hoc seculo nequam vocauit, et pie spero, quod et nunc idem Dominus ipsum propter eius laudabilia merita et opera gloriosa ad cetum beatorum patrie collocauit. In cuius locum receptus fuit M. noster Reuerendus, videlicet M. Nicolaus de dinkelspühel Sacre Theologie Doctor preclarus, ac dominus et pater meus precipuus, qui sequendo vestigia prenominati M. Petri de pulka pie memorie incepit legere in 2^{a}. epistola ad Corinth. vbi per suum precessorem dimissum fuerat, post cujus finem consequenter legit epistolam ad Galath. qua finita et ista epistola presenti incepta lectuam suam Domino nostro Domino principi ex causis racionabilibus ipsum ad hoc mouentibus resignauit. In cuius locum ego nullus, et Doctorum in Theologia minimus, ymo omnino inmeritus — sum receptus. Ideo morem suum seruando, quem et ipse seruauit in legendo post suum antecessorem incipere uolui, vbi et ipse dimiserat, et quia in hac epistola dimisit, in qua et solum vnam lectionem fecit, vt ipso referente didici, ideo et hanc epistolam ad legendum pre ceteris elegi, et Domino concedente alias sequentes legam.* Serviunt haec ad horum Virorum distinguendas *Lecturas*, ubi ἀνωνύμως occurrunt. Ad calcem Ep. ad *Philipp.* Lectura finita dicitur 1433. in die Mart. *Joh. et Pauli.*

DCCC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 483 Folior. 242. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus M. *Henrici de Hassia Sermones* de Dominicis per annum et Festis Domini complectitur; nomen enim illus Thecae foris adscriptum in fuga etiamnum deprehenditur, quamvis nulla eorum apud *Pezium* et *Fabricium* mentio. Ordiuntur vero a *Dom. I. Adventus* ita: *Benedictus qui venit in nomine domini. Euangelium quod hodie legitur secundum breuiarium pataiien. habetur etiam in dominica palmarum.*